ORATIO FVNEBRIS

SILVESTRI PETRASANCTAE ROMANI
è Societate IESV

HABITA

AD VRBANVM VIII. PONT. MAX.

Dum iusta Exequiarum

FERDINANDO II. AVSTRIACO ELECTO IMPERATORI

persoluerentur.

ROMÆ, Typis Francisci Corbelletti. MDCXXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISSIMO PRINCIPI MAVRITIO A SABAVDIA S.R.E. CARD.

SEX non ampliùs horis concepta hæc funebris oratio, & nata prorsùs nigro puerperio, inter obſtetricia tenebrarum, expauit meritò lucem illam Vaticanæ Regiæ, in qua eniti me primùm eam oportuit, non ſine partus veluti dolore. Iam ex plurimorum, ſuffragatione dixerim, an imperio? euocatur in publicam & communem etiam lucem; cuius ego tamen reuerentior ſum, quàm vt videam æquo animo, mea prodire, manu tàm properante. Tibi eam proinde inſcribo, SERENISSIME PRINCEPS, vt patrocinio tuo impetres, iubeasque; conſilium hoc excuſari ſaltem, ſi

nequeat nimirum, apud ſeueriores iudices laudari. Ceterùm non fuiſſe magis à cura, nec ſpatio dierum conſentaneo, præparatam FERDINANDI II. *panegyricam laudationem, propè eſt vt interpreter; haud omninò perperam id eueniſſe. Quo enim pacto in arctum cogi maieſtas argumenti tàm egregij, & dici ad clepſydram breuem, potuiſſet? Bonum factum boni conſulas,* SERENISSIME PRINCEPS: *diuque ſuperſtes, ducas inter nos tempora, & gaudia felicium. Ita voueo. Romæ,* v. *Kal. Aprilis,* M DCXXXVII.

Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ

Obſequentiſſimus

Siluester Petraſancta è Soc. IESV.

ORA-

ORATIO.

NESCIO qua subitanei exitus similitudine iunguntur, BEATISSIME PATER, in FERDINANDO SECVNDO Imperatore celeritas obeundi; in me verò imperata necessitas prosequendi funus eius extemporali laudatione: hoc præsertim loco, in quo cuiuis, instructo etiam oratione meditata, suaderet potiùs silentij reuerentiam hoc augustale Pontificiæ, quam veneror, maiestatis. Nempe illi penè momentum idem fuit, rediisse ex comitijs septemuiralibus, atque e viuis excessisse: mihi verò hæ primùm partes heri deferebantur; quando iam præcipitabant lux & dies; noctisque ideo tenebræ ineuntes, ac vix adultæ, esse mihi non potuerunt satis; vt FERDINANDI SECVNDI res gestas, magnitudine propemodùm immensas, multitudine innumerabiles, in lumine colloca-

rem. Dicerem ideò, me adesse comploratorem veriùs, quàm oratorem: nisi lacrymæ, supellex misera infirmi sensus, dignitatem, grauitatemq; huius sacri consessus dedecerent. Aut putarem etiam, in argumento funebri posse desiderari ornamenta operosioris eloquentiæ: nisi scirem, præ cunctis alijs, ex congeneri auium grege, canere modulatè luscinias illas, quæ circa Orphei tumulum nidulantur. Itaque cum incommodis tot vrgear; ne imprudens videar, si funere de summo, ad summas mundi aures imparatus dicere audeam; fugam laudum eius profitebor dumtaxat: & quæcumque ad nominis, & famæ immortalem commendationem FERDINANDVS gessit, more Parthorum ea cursim prosequar fugiendo. Prorsùs declinare me oporteat, ac silere summam FERDINANDI SECVNDI liberalitatem, ac munificentiam: etenim munerando, largiendoque benignitas eius exhauriri fortasse interdum potuit: aliter cessare numquam potuisset. Quæ autem vis eloquentiæ vmquam satis exprimeret hanc eius iugem artem, consuetudinemque de humano genere benemerendi? Manus Charitum olim ita instruebant; vt vna earum myrthi ramusculum amoris tesseram, altera rosam hilaritatis florem, & talos lusorios tertia gestaret: quoniam beneficia, cum amore & gaudio collata, debere in manus ire, ac redire existimarunt, & veluti quadam ludi vicissitudine

Pausanias in Bœotijs.

reci-

reciprocari. Auaras compellarem Charites ipsas; hoc est propria liberalitatis Numina: si de illis iam comparandi causa meminissem; dum de FERDINANDI SECVNDI beneficentia loquor. Videlicet beneficia redire ad se non patiebatur ea tanti Principis manus; in quam vtiquè assiduitate mira succedebant semper noua munera, quæ conferret. In eius animo deinde desiderium largiendi tam erat vehemens; vt sua magnitudine, atque vt ita dicam perennitate, semper facessere, quasi dedecorum & prophanum, cogeret desiderium accipiendi. O auream itaque Principis munificentissimi, & mentem, & manum! Quid præterea commemorem incredibilem eius lenitatem, atque clementiam? non ipse iniurias proprias irridere, vti Alexander Magnus; dissimulare, vt Tiberius; vt Titus, coaspernari; vt Theodosius, Arcadius, Honorius condonare, atque excusare solùm; sed vti Augustus Cæsar, remunerari etiam solebat. Maior ideò Maximis illis Principibus, & supra ipsum, quem hoc nomine suspexit antiquitas, Augustum existimandus est FERDINANDVS in cetera Imperij felicitate: quia clementia, genius pulcherrimus Principum, illos, qui comite ipsa dominantur, Deo simillimos, aut inuenit, aut efficit; extraque fortunæ aduersæ aleam omnem constituere solet: atque adeò, tametsi circumfluere vndique grauissimæ tempestates audiantur, iubet nihilo minùs tutos, & se-

& ſecuros etiam, alcedonia ducere placidiſſimæ tranquillitatis, Sed vt ab vtraque hac tam egregia FERDINANDI SECVNDI laude abeam, & me veluti fuga proripiam. vt ſileam inſuper faciles aditus, nec quæſita ambitu reſponſa, & nulli non commodiſſimos eius mores: quę vt in vulgus grata, ita Principi ſalutaria ſunt, ac firmamenta regnorum. nec lineas quaſq; recenſeam perfectiſſimi Principis, in FERDINANDO SECVNDO exaratas peritiore, quàm Zeuxis penicillo. Saltem pietatem eius armatam, victricemque religionem iam in conſpectum omnium adducam. Deus immortalis! & quos ille non ſuſcepit, tanto Alcide veriùs, quanto eo feliciùs, aduersùs immaniſſimam Hydram orę Septentrionariæ labores? Percurram ne ego illos ea, quam dixi, militari fuga incitatus? atquî eoſdem celeriùs ipſe confecit præliando, vincendoque. Dicam ſummatim; numerando palmas, eum inſenuiſſe ante ſenectutem; & victorijs, quàm annis tempora plura Imperij, ac vitæ pariter expleuiſſe. Admirationi eſſe poterit id, quod iam, ſerie temporum imprimis notabili, eueniſſe commemoro. Ab ea coniunctione in connubio, duorum Principum, quaſi ſyderum, Caroli Auſtriaci, & Mariæ Bauaricę, qui FERDINANDI SECVNDI Parentes fortunatiſsimi fuerunt, abierat ſeptennium; cum FERDINANDVS ipſe magno Religionis bono, natus eſt. Tertiò hinc ſeptennio cępit pro pote-

Nuptias inierunt Anno MDLXXI, menſe Septembri,

potestate Ditiones paternas administrare, ac septennio huic proximo sectarios ex illis ditionibus coëgit solum vertere, à lolio infelici, hoc est ab hæresi agrum Ecclesiæ repurgaturus. Septennio septimo, collatis signis ad Pragam, Regni Bohemiæ principem Vrbem, Comitis Palatini copias fudit, profligauitque. Secuto septennio ad Lutheram, Regem Cimbrorum funditùs deleuit, victricesque Aquilas Imperij transtulit felicissimè ad vltimos vsque recessus Cimbricæ Chersonesi. Altero septennio Gustauum Adolphum, terrorem Europę, ac flagellum Dei, strauit, deditque internecioni ad Lutzem, vniuersumque Christianum Orbem, ac Religionem imprimis, ab ingenti metu atque discrimine liberauit. Quod si mirum adeò censetur, tres omninò Reges sectarios, audaciâ incredibili peræquè, ac militari potentia imbutos, elatosque insuper felicitate successuum, &, quod ait ille, fortuna dulci ebrios, tres inquam eos Reges, ita ordine superari potuisse: erit admirabilius, si iam insinuauero, pugnam etiam Nortlinganam, in qua memorabili prælio fractæ hostium opes, & castra eorum direpta penitùs fuerunt, euenisse anno maximè notabili, præ alijs hebdomadicis, seù climactericis: hoc est tertio & sexagesimò ab ea, quàm dixi duorum Principum, quasi syderum, coniunctione, ex quibus FERDINANDVS SECVNDVS procreatus est. Planè vt constet,

Anno MDCXX.

Anno MDCXXVI.

Anno MDCXXXII

Anno M. DC.XXXIV

constet, in FERDINANDO easdem fuisse metas viuendi pariter, atque vincendi. Sedenim hæc omnia quo animo, quauè constantia aut cæpit, aut prosecutus est? eâdem prorsus, quâ Græcij dum è Stiria, Carinthiaque sectarios primùm dispelleret Princeps Religiosissimus: & dum pericula ei vltima intentarentur, nec ab re metui posset populorum seditio, imò ipsiusmet FERDINANDI, & liberorum eius egestas; dixisse tamen perhibetur, (ò vocem dignissimam iugi recordatione omnium sæculorum) dixisse, inquam, perhibetur: Propositi tenax ero, neque desistam vel si ex hac Vrbe migrare, cum scipione ac pera, ideo deberem, & mihi liberisque meis stipem regionatim perrogare. O te enimuerò exemplar Christianorum Principum FERDINANDE! Baculus ille, arreptus voto dumtaxat, causa asserendæ Religionis, videatur sanè gloriosior multò, quàm fuerit sceptrum aureum & gemmatum, in manus antehac duodecim Cæsarum, è stirpe Austriaca, Dei beneficio singulari collatum, & felicissimè iam (vtinam ad seriem alteram parem optimorum Principum) FERDINANDO filio relictum. Et is quidem, vt palàm faciat, in tam gloriosi Parentis obitu, Dauidem fuisse desideratum, an non videmus, quibus iam artibus semet Ecclesiæ, ac Romano Imperio, tum commendatione sapientiæ, tum pacis studio, Salomonis imitatorem repræsentet? Interim FERDINANDVS

SECVM-

SECVNDVS Cæſar munificus, clemens, pius; huic verò Sanctæ Sedi, BEATISSIME PATER, cui vni ſemper cum Cælo militauit, obſequentiſſimus, excedens è viuis, hoc eſt è noſtris oculis fugiens, adigit me ad fugam pariter laudum ſuarum. Si abeundum eſt tamen à mæſtiſſima virtutum eius pulcherrimarum commemoratione; id ea lege fiat, vt in animis omnium illi mauſolæum gloriæ manſurum ac perpetuum extruatur: & vt inter eius laudum præconia ſtatuatur; FERDINANDI virtutes commendari, vel ab extemporali laudatore, potuiſſe.

DIXI.

LAVS DEO.